DE ARTE METRICA CATULLI

Julius Baumann





Programm

des

Gymnasiums mit Realklassen

zu

Landsberg a. W.

Schuljahr 1880—1881.

Inhalt:

1. De arte metrica Catulli scr. Dr. J. Baumann.
2. Schulnachrichten vom Direktor Dr. Reinhold Köpke.

Landsberg a. W. 1881.
Buch- und Steindruckerei von R. Schneider & Sohn.

1881. Progr. Nr. 68.

De arte metrica Catulli.

Poesis Romana, quamdiu erat integra a contagione Graecorum, parum profecit, ut paene eam intermortuam diceres. Neque mirum videtur esse, quod tum lingua quoque Latina impedita sit, quominus ad statum cultiorem et ad certas verborum quasi conformationes progrederetur. Sed cum Romani in litteris Graecis versari coepissent, brevi exstiterunt, qui aut de Graecis multa in sermonem Latinum verterent aut poesin Graecorum imitarentur. Unde quantum fructum et lingua et res metrica Romanorum ceperint, quis est qui ignoret? Magni vel illud erat momenti, quod et poetae comici versus iambicos trochaicosque et Ennius hexametrum pro versu saturnio Romanorum proprio traduxit in poesin Latinam; quo factum est, ut lingua quoque paulatim conformaretur: syllabae enim breves a productis tunc severe distinctae sunt, consonantes prorsus nondum locis suis demotae quasi firmabantur — m ante vocabulum a vocali ordiens semper elidebatur — nisi quod ultima vocum littera s ante consonantem etiam tum elidi poterat. Neque vero celeriter hae res erant perfectae, sed usque ad Lucretii Catullique tempora commutatae sunt formae, et tum quidem haec fere omnia plane cumulateque confecta sunt. Catullus enim primus genetivis in syllabam ai desinentibus non utitur, quos videmus apud Lucretium et in versibus Ciceronis et postea vel apud Vergilium. Neque Lucretius aut Cicero in finibus verborum s ante consonantem elidere desierunt, sed Catullus non elisit nisi in ultimo voluminis versu „at fixus nostris tu dabi' supplicium“; qui tamen versus talis est, ut antiquioris poetae cuiusdam verba „tu dabi'supplicium“, quae Catullo in mentem venerunt, magis quam Catulli ipsius verba continere videatur. Quod attinet ad hanc elisionem legere iuvat Ciceronis[1]) verba: „quod iam subrusticum videtur, olim autem politius. . . Ita non erat ea offensio in versibus, quam nunc fugiunt poetae novi.“ Non solum hoc loco Cicero aegre fert „poetas novos“ vel „neotericos“, sed etiam aliis locis[2]) acerbis facetiis irridet.

Atque hoc animadvertendum est, quasdam Ciceroni esse similitudines cum illis poetis. Ut ille in oratione pedestri proficere intendebat, ita hi poetae omni cogitatione impelluntur, ut poemata excolant ad perfectionem, et cum poesis Graecae sint elati absolutione perfectioneque, ad eandem carmina Latina perducere conantur. Qua contentione effectum est, ut poetae, qui floruerunt septimi Urbis saeculi exitu, imprimis Lucretius et Catullus, cum veteribus poetis Latinis se opponerent, tum studii atque elegantiae poetarum aetatis Augusti quasi auctores exsisterent. Sed illi poetae epici praecipue Alexandrinorum poesin imitati sunt, non veteres epicos Graecos. Carmen igitur heroicum quoddam magnum, ut Aeneidem, non protulerunt, sed epyllia, ut vocabulo Graeco utamur, quorum exempla erant Licinii Calvi „Jo“ et Helvii Cinnae „Smyrna“, in qua Catullus (c. XCV.) dicit hunc novem annos elaboravisse. Cuius generis unum carmen permansit, Catulli carmen LXIV., ex quo intelligi potest, qua arte carminum componendorum Alexandrini uti soliti sint. Docet nos idem carmen studia Catulli et ingenium. Etenim quasi mu-

[1]) orator § 161.
[2]) cf. ad Attic. VII. 2,1.

sivum est, quod plures poetas imitando verbis sententiisque abundat aliunde repetitis. Et ex aliis quoque carminibus huius poetae satis apparet multarum eum litterarum laude excellere, et ea ostendunt eum cum populi sui linguam magis excoluisse, cum ipse saepius sermone vulgari usus sit, ingenioque floruisse, tum Graecorum arti, rei metricae, linguae ita studuisse, ut exempla Graeca ei usque quaque praesto essent.

Quae cum ita sint, non solum ad cognoscenda carmina Catulli, sed etiam ut poetas, qui Augusti temporibus fuerunt, bene intellegamus, rem metricam illius et sermonem et artem magno fructui erit perscrutari. Itaque operae pretium videtur esse, ut in metra Catulli diligentius inquiramus. Ad extremum aliquid adiciemus de quibusdam rebus, quae ad prosodiam, quae vocatur, atque ad metra multum valent.

In pedibus diiudicandis ac versibus eam rationem sum secutus, quam vir illustrissimus Adolfus Kirchhoff docere solet. Et certe quidem eius rei periti facile ex hoc libello cognoscent, quid illi acceptum referre debeam.

A. De metris.

CAPUT I.

1. Nascitur exordium a versibus iambicis, ac primum quidem de trimetro iambico acatalecto loquamur. Cuius versus omnibus locis praeter ultimum poetae comici Latini tribrachyn, pyrrhichium, spondeum, anapaestum, dactylum habent pro iambo, Catullus autem huiusmodi versus polyschematistos omnino devitavit. Plautus cum in qualibet sede trimetri spondeum patiatur, ut fere Ennius quoque in versibus saturarum iambicis fecit et Varro Laeviusque videntur fecisse, Catulliani iambi ad exempla Graeca revocati sunt. Ab Archilochi iam temporibus, cuius poetae carmen tale integrum non mansit — bene quidem cum Horatius in epod. XVII. imitatus est — poetae ad inimicos convicii consectandos adhibuerunt trimetros iambicos. Similiterque is, de quo nunc agimus, duobus trium carminum trimetris compositorum (IV., XXIX., LII.) inimicos vehementer exagitavit (XXIX. et LII.). Cum autem tragici Graeci sedibus trimetri imparibus spondeum patiantur, ut etiam Catullus in c. LII., huius poetae versus carminum IV. et XXIX. constant meris ex iambis excepto merito versu tertio c. XXIX., quia nomen proprium „Mamurra" alioquin continere non potuit. In v. 20 c. XXIX. Hauptii[3]) emendatio „timete Galliae, hunc time Britannia" accipienda est; etiam quae Godofr. Hermannus (time Britannia, hunc timete Galliae) et Luc. Muellerus (timentne Galliae hunc, timent Britanniae?) proposuerunt, meri iambi sunt, ex quibus certe Catullus hunc versum composuit. Attamen neque meri iambi veterum iambographorum Graecorum relicti sunt neque Catullus compositionem huiusmodi artificiosam libidinosamque invenisse putandus est. Immo artem Alexandrinorum olent talia poemata. Quem autem poetam Catullus in illis duobus carminibus componendis secutus sit, exquiri posse non videtur. Praeterea meri Romanorum iambi reperiuntur apud Priapeorum auctores et in carminibus III. IV. VIII. catalectorum Vergilii nomini addictorum: neque verba horum trium carminum Catullum nobis in memoriam non reducunt, qua de causa auctorem eorum imitatum esse metrum quoque Catulli verisimile est. Caesura autem trimetri aeque atque apud Graecos est semiquinaria aut semiseptenaria accedente vel semiquinaria vel incisione post arsim secundam. Sed non praetermittendum videtur esse, quod Luc. Mueller[4]) in c. XXIX. v. 22, cui abest caesura auxiliaria, non hephthemimeren, sed tmesi effecta penthe-

[3]) Quaest. Cat. pg. 19. vel opusc. l. I. pg. 14.

[4]) Praef. ad Catulli carm. pg. LXX.

mimeren esse vult (nisi uncta de | vorare patrimonia). Quod iam attinet ad ultimam trimetri vocem, semel (XXIX. 16) monosyllaba invenitur, atque versibus 1. et 4. c. LII. canon Porsonianus probari videtur; nam Porsonus tragicos Graecos quinto in pede trimetri nunquam spondeo uti intellexit, si vox cretica ultima est versus.

2. Nunc dicamus de trimetro iambico claudo sive de choliambo[5]), quo usus est metro Catullus in cc. VIII., XXII., XXXI., XXXVII., XXXIX., XLIV., LIX., LX. omnino versus centum viginti sex continentibus. Duarum aetatum, quas Naekius[6]) seiunxit, erat prior, qua poetae hoc metro in carminibus utebantur ad infamiam alicuius editis, altera autem post Alexandrum Magnum, cum Aischrion Samius vel Mytilenaeus[7]) Phoenixque Colophonius ex his metris carmina composuerunt. Imprimis vero Callimacho duce, qui Hipponactis invocat obtestaturque exemplum[8]), ad alios versus faciendos hoc metrum saepius esse adhibitum videtur. Quare Catullum e choliambis cc. VIII. et XXXI. componentem Alexandrinorum exempla, quibus hic versus mirus peculiarisque aeque ac tetrameter trochaicus claudus valde placuit, ad imitandum sibi proposuisse apparet. Hunc autem versum paulo ante a Cn. Matio in rem metricam Romanorum inductum Catullus et aequales eius diligentissime perpoliverunt. Nam cum Hippōnax tribrachyn pro iambo primo, secundo, quarto atque pro primo tertiove pede dactylum pateretur, Catullus spondeum primo tertiove in loco positum bis tantum dissolvit in dactylum (XXXVII. 5. et LIX. 3); iam vero tribrachys semel, idque secunda in sede, apud eum reperitur (XXII. 19).

Neque alienum a studiis nostris videtur Cn. Matii choliambos tredecim, qui manserunt[9]), perspicere, in quibus tribrachys non solum secundo loco (frg. 7) reperitur et quarto (frg. 8), sed bis etiam (frg. 2. v. 2. et frg. 4. v. 1) loco tertio. Praeterea, ut veteribus poetis Latinis pedes commutare licuit, ita Matii quoque frg. 5. v. 1. quarto loco spondeum habet (iam tonsiles tapetēs ēbrii fuco).

Caesurarum porro in choliambis Catullianis hephthemimeres multo est rarior quam penthemimeres, non tamen reperitur tam raro, ut Nobbe[10]) vult. Sed et trimetri et choliambi pedem tertium voce disyllaba omnino non posse constare ex natura caesurarum horum versuum iam apparet, neque c. LX. v. 4 (ut supplicis | vocēm in | novissimo casu) discedit ab hac lege; Luc. Mueller[11]) autem non recte illum pedem spondiaca voce usurpari nefas esse dicit.

Reliquum est, ut praecipue choliambos inveniri Catulli complures dicendum esse videatur, qui multas habent vocalium elisiones (XXII. 4., 15., 18. XXXI. 12. XXXIX. 8. cf. XLV. 3. LXVIII. 152. LXXIII. 6.)

3. Tertius restat versus iambicus, tetrameter catalecticus. Hoc metrum, quo Catullus unum carmen (XXV.) composuit, ad Graecorum exempla plane diligentissimeque formavit. Diaeresis enim, quae vocatur, semper post dipodiam secundam locum obtinet. Atque spondeus tredecim in versibus huius carminis in primo pede sexies (4., 5., 7., 9., 10., 13.) usurpatur, bis in pede quinto (5., 13.), nunquam tertio in loco. In versu autem quinto offensionis aliquid est compluribus interpretibus[12]), quorum Handius hunc versum in suspicionem vocavit, quia arsis pedis secundi est soluta. Quod, ne versum Catullianum iudicemus, impedire non potest. Tantum enim

---

5) Ὅπερ τινὲς μὲν Ἱππώνακτος, ἄλλοι δ' Ἀνανίου εὕρημά φασιν εἶναι .. Hephaestionis ἐγχειρίδιον cap. 5.

6) Choerilus pg. 192. sq. et pg. 227. sq.

7) cf. Suidae lexicon sub v. Αἰσχρίων Μιτυλ.

8) Ἀκούσαθ' Ἱππώνακτος· οὐ γὰρ ἀλλ' ἥκω κτλ. — Bergkii Anthol. lyr. frgm. 164.

9) Luc. Muelleri ed. Cat. pg. 91. sq.

10) De metris Catulli fasc. II. Lipsiae 1821 pg. 4.

11) Praef. ad Cat. carmina pg. LXX.

12) Doering in ed. Cat. ad h. l., Hand in observ. p. 35.

abest, ut Graeci, quorum ad exemplum Catullus hoc metrum revocavit, tetrametri arses non solverint, ut arses solutas in tantulis fragmentis Hipponactis inveniamus (cf. frg. 80 et 83 Anthol. lyr. Bergk.). In comoedia autem Attica anapaestus cyclicus, qui dicitur, in omnibus sedibus tetrametri iambici usurpatur praeter septimam, in qua spondeus irrationalis omnino locum non obtinet. At quae codex „vetustissimus et venerandus Romanae bibliothecae“ habet verba „mulier avos“, ansam praebent aptam versus emendandi, sive cum Lachmanno „cum diva numerarios“ scribere vel Hauptii „mulierarios“ mavis accipere in versum.

CAPUT II.

De galliambis, quos poeta in c. LXIII. adhibuit, paucis disserendum est. Quod enim metrum singillatim et in poesi Romanorum et in fragmentis Graecorum reperitur, atque de eodem plurima in medium iam protulerunt imprimis Godofr. Hermann[13]) et Nobbe[14]), quorum ille et omnia fragmenta praeter Anacreontis duodequinquagesimum undequinquagesimumque et Catulli Graecum nescio quem poetam sequentis Attin commemorat, unicum carmen huius generis, quod integrum permansit. Hi versus, qui a Gallis, Cybeles sacerdotibus, nomen trahunt, tetrametri sunt catalectici ex pedibus ionicis a minori compositi adhibita anaclasi, quae dicitur. Anaclasis quae sit, facillime intellegemus, si choriambos, qui ex metro ionico excidi possunt, cum dipodiis iambicis commutabimus. Cum autem in galliambis diaeresis post secundum pedem semper locum obtineat, commutatione illa semel tantum in utroque hemistichio poeta uti poterat. Sed ea non usus est in priore hemistichio non solum in v. 54., sed etiam in v. 18.; nam hoc in versu omnes fere editores merito Lachmannum secuti „hilarate aere citatis“ scripserunt, quae verba ille ex Laurentiano, codice Berolinensi, deprompsit. Neque anaclasis fit alterius hemistichii in v. 60. Tum arses Catullus saepe dissolvit, primam quater (vv. 23., 48., 63., 70.), secundam decies (4., 27., 30., 31., 63., 69., 76., 77., 78., 91.), utramque igitur in uno versu 63. Et in altero hemistichio semel tantum primam arsin poeta dissolvit (v. 91.), plerumque (in versibus octoginta septem) secundam.

Praeterea Catullus primam thesin in decem versibus prioris hemistichii (5., 15., 17., 22., 26., 40., 67., 73., 77., 86.) et in sex alterius (18., 22., 34., 73., 83., 86.) in longam syllabam contraxit. Trium igitur versuum (22., 73., 86.) utrumque hemistichium a syllaba longa incipit, neque iidem versus dissolutam habent in priore hemistichio, v. 73. ne in altero quidem. Verba spectantibus in promptu nobis est poetam hoc modo tardare numeros voluisse, et v. 73. spadonis orationi fatentis se paenitere ac dolere finem imponit optimum.

CAPUT III.

Metra choriambica quamquam in numero ordinum logaoedicorum habenda esse verisimile est; quod tamen id non inter omnes constat, nunc, antequam dicimus de his, contemplabimur versum asclepiadeum sedecim syllabarum vel *μέτρον Σαπφικόν*, de quo verba sunt Hephaestionis[15]): *Τὸ δὲ ἀκατάληκτον καλεῖται Σαπφικὸν ἑξκαιδεκασύλλαβον· ᾧ τὸ τρίτον ὅλον Σαπφοῦς γέγραπται· πολλὰ δὲ καὶ Ἀλκαίου ᾄσματα.* Ex carminibus Sapphus hoc metro compositis reliqua sunt fragmenta 65.—75. Anthol. lyr. Bergk. et fortasse frg. 64., si legimus *ἔλθοντ' ἐξ ὀράνω πορφυρίαν περθέμενον χλάμυν.* Tum certo Alcaei fragmenta 37A, 39., 41., 42., 44., 82.—86. Theocritique idyllia 28 et 30 his versibus constant. Catullus Romanorum primus hoc metro esse usus videtur, quod poetarum Romanorum more Horatius postea excoluit. Atque Theocritus carmina illa ex

[13]) Elem. doctr. metr. pg. 504—6.

[14]) De metris Catulli fasc. I., de galliambis. Lipsiae 1820.

[15]) *ἐγχειρίδιον* cap. X. 12.

singulis versibus asclepiadeis fecit, id quod etiam Sappho Alcaeusque videntur fecisse; neque tamen de his duobus disceptari potest. Cum Horatius, ut fere solebat, etiam ex his versibus quaternis componeret cc. I. 11. et 18. IV. 10., Catullum in c. XXX. binos versus asclepiadeos coniunxisse et Luc. Mueller et Hauptius pro certo affirmant, quia Sappho, quam hic poeta imitatus est, id fecerit.

Sed Catullus iam eandem fere huius metri formam habet, quam Horatius. Nam uterque eorum spondeum semper in basi ponit; „eheu" enim in v. 4., ut apud poetas epicos lyricosque fieri solet, non iambicam vocem esse hoc loco, sed spondiacam apparet. At Sappho Alcaeus Theocritus basim variam habent. Tum vero ex Horatii versibus triginta duobus septendecim longa syllaba finiuntur, quindecim brevi, et ex duodecim Catulli versibus octo ultimam habent longam, brevem quattuor; item Sapphus versus asclepiadei saepius in syllabas longas cadunt quam in breves, cum Alcaeus Theocritusque fere totidem versus in longam syllabam desinentes, quot in brevem habeant. Atque Horatius quidem in versibus huiusmodi post choriambum primum secundumque caesuram adhibet, et altera caesura in v. 16 c. I. 18 neglecta (Arcanique Fides | prodiga perlucidior vitro) et elisione admissa in caesura priore v. 5. c. IV. 10 (mutatus Ligurinum in faciem | verterit hispidam): Catulli contra duodecim versuum quattuor modo utramque caesuram ostendunt puram elisione adhibita in priore caesura vv. 1. et 8. in alteraque vv. 6. et 7., caesura priore neglecta in vv. 5. et 11., altera in vv. 9. et 10.; itaque v. 6. (inducens in amorem, quasi tuta omnia mi forent) caesuram integram omnino non habet. Eadem fere ratio est in versibus Sapphus Alcaeique, cum Theocriti in versibus idyll. 30. duae incisiones integrae sint frequentiores; sed duobus versibus Sapphus (frg. 69 v. 1. et frg. 75. v. 1.) et duobus Alcaei (frg. 37A. v. 1. et frg. 39. v. 1.) et tribus Theocriti (id. 28. vv. 5., 8., 21.) utraque caesura deest. At quod Godofr. Hermann in elem. doctr. metr. pg. 437. in neglegenda caesura altera Catullum imitatum esse Alcaeum dicit, id probari non potest, quoniam eandem etiam Sappho neglexit (frg. 66., 67., 69. v. 1., 70. v. 2., 75. v. 1.). Neque omnino Catullum dici posse iudicamus hoc metro utentem Theocritum solum secutum esse aut Sappho aut Alcaeum ipsum. Jam vero poetam, cui in asclepiadeis alia ratio quaedam cum Alcaeo non est atque cum poetria illa, Alcaeum imitatum non esse Horatii[16]) illis verbis non probatur. Nam Horatius, cum primus stropham Alcaicam in poesin Latinam recepisset, suo iure illa verba proferre potuit.

CAPUT IV.

Sequitur, ut in ordines logaoedicos, qui dicuntur, inquiramus.

1. Ac videamus primum, quomodo versu hendecasyllabo vel phalaeceo Catullus usus sit. Qui versus a Catullo ipso hendecasyllabus vocatus (XII. 10. XLII. 1.) apud hunc poetam maximo in usu est. Sed antiquissimi poetae Graeci eo usi sunt in pericopis vel strophis. Nam iambographi talia carmina composuerunt,[17]) quae tamen inter Sapphus Alcaeique fragmenta non repeend riuntur. Sappho quidem et ex his versibus solis carmina composuisse et eo metro una cum aliis in strophis usam esse totumque librum carminum eiusmodi in lucem edidisse Hephaestion docet. Itemque hoc metrum poetis Alexandrinis placuit, quare Catulli aetate in usu esse Romanorum coepit et usque ad medium aevum vigebat. Sed ex temporibus Augusti tales versus non exstant. Phalaeceus autem versus vocatus esse videtur, quod Phalaecus Alexandrinus quidam poeta eo multum usus est. Praeterea epigrammata quaedam libri VI. Anthologiae Palatinae his versibus constare commemoramus.

[16]) Epist. I. 19., 32 sq.: hunc ego non alio dictum prius ore Latinus | volgavi fidicen.

[17]) Lachmanni Babrius pg. 114 sq.

Atque Catullus huius versus primo in loco trochaeum quidem aut iambum aut spondeum, non pyrrhichium posuit. Tum carminis LV. — nam formam huius carminis accipimus, quam Lachmannus restituit omnesque recentiores iam secuti sunt — e triginta duobus in sedecim versibus (1., 3., 4., 5., 7., 8., 9., 11., 13., 23., 31., 14., 16., 18., 20., 22.) pro dactylo spondeum habet, in quibus omnibus etiam basis est spondiaca. Quid ergo? Mirum videtur poetam in hoc uno ex carminibus quadraginta, quae ex phalaeceis composuit, dactylum commutavisse. Accipiendum est, quod hanc ad rem Muellerus[18]) profert, Catullum se Camerium diu quaerendo indagandoque fatigatum depicturum apte multis spondeis pro dactylis usum esse. Quam pedum commutationem una cum pyrrhichio in basi devitato Lachmannus in praef. ad Terentianum Maurum (pg. 15.) bene explicavit. Varro enim omnes versus choriambicos logaoedicosve cum basi iambica ex ionicis a maiori „epiploce“ quadam adhibita ortos esse voluit. Si talem ordinem pedum ionicorum a maiori incipias ab altera basis syllaba, versus aliquid restat, quod cum prima basis syllaba „epiploce“ coniunctum rursus etiam ionicum a maiori continet. Ionici autem pedis locum molossus obtinere potest. Cum iam in Phalaeceo aut in Glyconeo aut in Pherecrateo spondeum pro dactylo positum reperimus, tum versus esse ordo ionicorum putandus est atque exspectari potest basim esse spondiacam, quod prima eius syllaba una cum ultimis versus syllabis ionicum pedem vel molossum valere et altera ionici pedis molossive prima syllaba fieri debet. Quam ad rem apud Lachmannum (l. l.) haec verba legimus: „primam ionici pedis ancipitem esse censuerunt, ut metrici Graeci *ὥρα· | ἐγὼ δὲ μό | να καθεύδω*: sed duas breves ab initio versus poni ista doctrina non permittit“. Et Catullum basin omnium illorum versuum sedecim spondiacam posuisse supra iam diximus. Quae basis spondiaca postea in omnibus Martialis versibus phalaeceis ita reperitur, ut iam Horatius basim metrorum suorum semper spondiacam formavit. Neque Catullus in basi aliorum versuum hendecasyllaborum praeter illos sedecim spondeum omnino devitavit, sed saepissime posuit. Quid? Cum hos versus ita, ut enarravimus, perpoliret, consciumne illius doctrinae, quam Lachmannus enucleavit, Catullum fuisse putabimus? Verisimile hoc nobis non videtur, sed potius eum illos versus ita fecisse affirmaverimus, ut hendecasyllabos aliaque huiusmodi metra apud poetas, quos maxime imitatus est, reppererit.

Sed in fine huius versus Catullus interdum posuit vocabulum monosyllabum praecedente plus quam monosyllabo (V. 5. VII. 7. etc.). — Caesura quidem huius versus semper fit aut post dactylum aut post trochaeum insequentem.

2. Proximum est, ut de versibus sapphicis hendecasyllabis loquamur. Hos versus ternos poetae Lesbii ad stropham sapphicam constituendam adhibuerunt Adonio versu subsequente. Cuius generis carmina fragmentave sunt Sapphus 1.—26., Alcaei 5. et 36. Atque inter Latinos Catullus strophis sapphicis primus usus est (cc. XI. et LI.), et ita usus est, ut Lesbios prorsus sequeretur; postea Horatius hoc metrum diligentissime excoluit. Nam ut Lesbii, Catullus priorem dipodiam trochaicam versus sapphici non semper gravem posuit, sed interdum puram (XI. 6., 15. LI. 13.). Neque aliter atque illi strophas composuit, quas habet semper tristichas in fine tertii versus sapphici hiatu deficiente et hoc sapphico coniuncto artissime cum Adonio (XI. 11., 19.). Horatius contra cum initio versus dipodiam non posuit nisi gravem, tum in fine tertii sapphici hiatum passus est. Graeca vero exempla imitando is quoque tertium sapphicum cum Adonio interdum seiunxit (c. I. 2. v. 19., 25. v. 11.; II. 16. v. 7.), qua in re parum ipse sibi convenit. Atque caesura in omnibus Horatii versibus sapphicis locum obtinet in dactylo, et plerumque post arsin; in c. 2. l. I. exempli gratia semper ea virilis est. Lesbiorum autem carmina, quia condita erant, ut canerentur, caesura carere poterant. Duorum quidem fragmentorum Alcaei, quae strophis sapphicis constant, omnes

[18]) In libro de re metrica poet. lat. pg. 166.

versus caesuram habent virilem. Quem poetam caesuram iam non neglexisse et virilem praetulisse caesurae trochaicae credere possis, ita ut etiam hac in re Horatius, qui Alcaeum multum imitatus est, versus suos ad normam eius revocaverit. Certo tamen haec res diiudicari non potest. Sapphus vero in versibus, qui non omnes habent caesuram, fere aequalis est numerus caesurarum virilium et feminearum. Proxime ad hanc rationem Catullus accedit: duodeviginti enim versuum sapphicorum carminis XI. novem (1., 2., 3., 5., 9., 10., 17., 19., 22.) caesuram habent virilem, quinque (13., 14., 15., 18., 21.) post trochaeum dactyli pedis, quattuor (6., 7., 11., 23.) neutram quidem, sed his adest caesura post arsim secundam prioris dipodiae trochaicae; praeterea in v. 23. incisio fit post dipodiam ipsam, quae hic gravis est. Et carminis LI. versibus omnibus inest caesura in dactylo, novem eorum virilis, tribus (1., 3., 13.) feminea, ut ita dicamus. At Sapphus illius carminis, quod Catullus c. LI. imitatus est, ex tredecim versibus quinque (3., 5., 6., 13., 14.) caesura in dactylo carent.

Addimus neque Catullum neque Horatium, id quod apud Sappho reperimus, secundum pedem huius metri constare verbo spondiaco passos esse.

3. Nunc dicamus de versu glyconeo, quo ex metro Catullus ita composuit strophas carminum XXXIV. et LXI., ut in hoc quaternos, in illo ternos glyconeos versus Pherecrateus subsequatur. Idemque metrum primum est membrum versus Priapei in c. XVII. et in frgm. 2. et 3. Et Sapphus strophas glyconeas invenimus in frgm. 44.—50. Anacreontisque in frgm. 1.—14. Itaque hoc metrum etiam anacreonteum vocatur. Anacreon praeter spondeum in basi trochaeum interdum aut iambum posuit, non pyrrhichium aut pedem aliquem trisyllabum. Sapphus autem in fragmentis pyrrhichium invenimus et Godofr. Hermannum miramur, quod se hunc pedem in bas nusquam repperisse dicit[19]). Atque Catullus mirum quantum basin trochaicam spondiacae praetulit maximeque iambicae. Glyconeis enim ex ducentis sex, quibus constant carmina XXXIV. et LXI., centum octoginta tribus in basi trochaeum posuit, viginti spondeum (XXXIV. 5., 7., 10., 13., 14., 17., 21., 23. LXI. 109., 127., 129., 133., 134., 136., 142., 176., 182., 208., 209., 216.). — Nobbe Doeringii lectiones sequens versus 87. et 158. c. LXI. addere voluit, quibus in versibus lectione vera restituta basis est trochaica — tribus iambum (XXXIV. 1.—3.). Quibus vero ex causis Catullus pyrrhichium aut pedem aliquem trisyllabum non posuerit in basi huius metri, supra iam dictum est, cum de versu Pherecrateo disseruimus. Dactyli quidem loco in v. 53. c. LXI. „solvunt" legitur, quae tamen forma diaeresi quadam adhibita est trisyllaba.

Aeolii omnino poetae his ex versibus strophas *κατὰ συνάφειαν* non semper videntur composuisse, sed Anacreon hoc in iis strophis fecit, quae reliquae sunt. Atque Catullus quidem carminis XXXIV. systemata glyconeorum ternorum Pherecrateo sequente prorsus *κατὰ συνάφειαν* composuit et tam arte coniunxit, ut bis (vv. 11. et 22.) versus vocabuli ultimi aliqua pars versui sequenti concedatur, quod item factum est in c. LXI. vv. 122., 142., 147., 191., 234. Sed hoc in carmine decies (vv. 123., 143., 153., 158., 163., 168., 173., 178., 183., 188.) in fine glyconei tertii aut syllabam brevem aut hiatum acceperis. Neque vero versuum continuationem interrumpi, quia intercalaris illa exclamatio „o Hymen Hymenaee io" unumquemque illorum versuum sequatur, Hauptius in opusc. l. I. pg. 18. (quaest. Cat. pg. 25) iam docuit. At versus 223., et ipse glyconeus strophae cuiusdam tertius, brevi syllaba excipitur, cuius rei vel emendandae vel declarandae vir illustrissimus omnem spem paene abiecit. Idem Catullum hoc in carmine priores tres strophae uniuscuiusque glyconeos perpetuitate quadam coniunxisse et deinde novum systema glyconeum quartum Pherecrateumque continens vel versum Priapeum addidisse aliquando se esse suspicatum, mox tamen abiecisse hanc suspicionem narrat. Sed eundem in lectionibus a. 1870.

[19]) Epitome doctr. metr. § 468.

habitis ad eam rediisse Wilamowitz testis est[20]). Iam antea Luc. Mueller in libro de re metr. poet. lat. pg. 117. illius sententiam probavit. Neque tamen, ut eis causis, quibus illa probatur, magis assentiamur quam eis, quibus improbavit eam Hauptius ipse, impetrare a nobis possumus. Corruptela igitur quaedam esse his in verbis nobis videtur.

4. Quibus rebus expositis etiam de pherecrateo quid dicendum sit, videamus. Hoc versu Catullus tantum in strophis glyconeis et in priapeo utitur; aliter is Anacreontis in frgm. 15. et 16. reperitur. Huius quoque versus ad basin constituendam poeta trochaeum adhibuit plurimum: quinquagies enim is reperitur, bis (LXI. 205., 235.) spondeus, semel (XXXIV. 4.) iambus. Et dactyli locum in pherecrateis Catullianis semel spondeus obtinet (LXI. 25.: nutriunt humore).

5. Sed quoniam de glyconeo pherecrateoque satis dictum est, deinceps de priapeo versu, qui duobus illis componitur, est disputandum. Catulli c. XVII. priapeis constat, itemque frg. 2. et 3. Quales Anacreontis priapei fuerint, ex paucis fragmentis (17. et 18.), quae exstant, diiudicari non potest. In his quidem basis semper spondiaca et diaeresis inter membra versuum singulorum reperitur; praeterea leges synaphiae servatae sunt. Catullus autem eadem ratione atque in glyconeis et pherecrateis habita in basi plerumque trochaeum posuit, multo rarius spondeum, semel rursus iambum (in pherecrateo fragmenti 3.); et c. XVII. vv. 19. et 20. duobus in membris basin habent spondiacam. Tum glyconei syllaba ultima bis (XVII. 12., frgm. 2. v. 1.) anceps est et tribus in versibus (XVII. 4., 11., 24.) in fine glyconei syllaba eliditur, bis quidem „que“ encliticum. Atque in ceteris priapeis inter membra versuum diaeresis reperitur, excepto versu secundo frg. 2., qui sine dubio est mutilatus.

CAPUT V.

1. Ut ad illa maiora veniamus, cuiusnam versus usum ab antiquissimis temporibus profectum magis iuvat persequi quam hexametri dactylici vel heroici? Primum dactyli multum cum spondeis consulto a Catullo commutati posterioris aetatis Graecorum, imprimis Alexandrinorum, mentionem movent. Neque vero id Catulli proprium est, sed omnium poetarum Latinorum. Illius commemoramus exempli gratia c. LXIX., in quo singuli hexametri ad sententiam accommodati esse praecipua arte nobis videntur. Atque multis in hexametris spondeus non est nisi primo in loco, mirum autem in modum hunc pedem semel (LXIV. 79.) in sede quinta posuit poeta. Et pauci sunt versus, qui dactylum modo prima in sede habent (LXIV. 3., 44. LXVIII. 87.) aut pro quarto pede (LXIV. 74., 255., 258., 286., 287.). Multo autem maior est numerus eorum, qui, ut Lucretii l. VI. v. 1135., spondeis constant excepto pede quinto (LXII. 7., 21., 39., 41., 46., 50., 52., 59. LXIV. 5., 16., 40., 51., 89., 111., 126., 130., 139., 190., 194., 200., 202., 207., 213., 223., 226., 234., 236., 243., 245., 257., 272., 279., 289., 292., 299., 338., 343., 385., 389., 392., 407. LXVIII. 27., 45., 53., 58., 69., 75., 85., 97., 99., 111., 119., 129., 133., 151. LXIX. 9. LXXII. 1., 3., 5. LXXX. 7. XCI. 7. XCVI. 5. XCVII. 11. XCVIII. 5. XCIX. 9. CI. 3. CIII. 3. CVII. 3. CXIV. 1., 5. CXV. 5. Unus est versus c. CXVI. 3., in quo ne unus quidem inest dactylus, quales versus optimi poetae Latini evitaverunt; at inveniuntur apud Homerum (Λ 130. Ψ 221. ο 334. φ 15. χ 175. vel 192.).

Deinde hexametrorum Catulli multi sunt *σπονδειάζοντες*, et ii saepe cogitate apti naturae sermonis locisque. Hac autem in re poetam secutum esse Alexandrinos inter omnes constat. In veteribus enim Graecorum carminibus epicis quamquam versus spondiaci saepissime inveniuntur, eos tamen quasi arcessitos quaesitosque non esse sed occasione oblata factos apparet. Vocabula quidem quinque syllabarum perraro inveniuntur, et apud Homerum unus versus tali verbo finitur

[20]) ad Hauptii opusc. I. pg. 19. ann.

(ὀρθοκραιράων Θ 231.). Sed quattuor syllabarum vocabula, quibus quintus sextusque pes metri constarent, poetae illi antiquissimi in fine versuum plurima posuerunt. Aliquanto minor est numerus eorum versuum spondiacorum, qui vocabulo trisyllabo finiuntur, et horum multi sunt, in quibus monosyllabum longum praecedit trisyllabo. Vocabulum autem spondiacum ante alterum bisyllabum in fine versus collocatum monstrari non potest nisi in Κ 299.; nam ἠῶ (in versibus Θ 565., Ι 240., Λ 723., Σ 255., π 368., ψ 243., Hesiodi in ἐκῇ v. 574.) et αἰδοῖ (Κ 238.) et ἱδρῶ (Κ 574.) et δῆμον (ξ 239.) esse bisyllaba non videntur, quoniam illis temporibus, quibus haec poemata sunt orta, formae eiusmodi solutae esse etiam tum potuerunt. Atque tribus in versibus spondiacis (δ 604., μ 64., ϱ 208.) monosyllabum praemittitur bisyllabo, unus monosyllabo finitur (Τ 117.): quattuor enim versus, qui verbis εὐρεῖα χθών excipiuntur (Λ 182., Θ 150., Λ 741., Φ 387.), syllaba ει soluta σπονδειάζοντες putandi non sunt. — Ennius quoque versus spondiacos non devitavit, sed inde ab eius aetate usque ad Lucretium Cinnam Catullum tales versus non invenimus in iis poematis, quae reliqua sunt. — Quamquam nonnullos inter Catulli spondiacos inveniri, qui non esse quaesiti videantur, sed facti vocabulis oblatis, fatemur. Neque tamen quisquam plurimos artem quandam affectando sectandoque Alexandrinorum usum eum effecisse negabit. Idem fecerunt aequales eius, cantores illi Euphorionis[21]), quos cum aliis rebus tum talibus versibus saepissime prolatis offendisse apparet. Quam rem Cicero[22]) in risum deflexit spondiacum proferens illum „flavit ab Epiro levissimus onchesmites“ verbis his additis „hunc σπονδειάζοντα, si cui voles τῶν νεωτέρων pro tuo vendita“. Sed in fragmentis, quae ex carminibus amicorum Catulli restant, Cinnae solum spondiacum reperimus hunc: „atque imitata nives lucens legitur crystallus“. Hic versus trisyllabo finitur, atque etiam Alexandrini longum vocabulum in fine spondiaci collocare solebant; qua in re imitatores Romani eos secuti sunt et ipsi Lucretius Catullusque[23]). Quod posterioris quoque aetatis epici Graeci fecerunt, quorum versus spondiacos Lehrsius[24]) in iudicium vocavit, Apolloniumque hic trisyllaba perraro in fine spondiaci posuisse confirmavit. Idem Apollonius Catulli aetate Romanis valde placebat et eius Argonautica eodem fere tempore, quo hic floruit, Varro Atacinus sermone Latino ita interpretatus est, ut Quintilianus[25]) eum laudaverit, quod bonus interpres operis alieni fuisset. — Tum Lucretii in libris σπονδειάζοντες quamquam frequentiores sunt, leges quasdam severe in iis poeta servavit. Et recte quidem Lachmannus ad l. III. v. 198. annotavit, Lucretium Graecam Ennii Luciliique licentiam, quam postea et Catullus et Vergilius revocaverint, exosum versibus in tres spondeos exeuntibus omnino abstinuisse: versus enim I. 559., III. 706., VI. 446. σπονδειάζοντες existimandi omnino non sunt, quod in verbo „dissolvere“, quo tres omnes sunt terminati, diaeresis quaedam fit. — At contra Catulli versus quattuor (LXIV. 3., 44. LXVIII. 87. CXVI. 3.) plus quam duobus spondeis finiuntur. Sed quod ad naturam vocabulorum attinet, quae Lucretius Catullusque in fine spondiacorum posuerunt, uterque eadem fere ratione Alexandrinos secutus est. Lucretium enim spondiacos aut tetrasyllabo aut trisyllabo monosyllabum sequente terminasse Lachmannus ad l. II. v. 605. explicavit. Qui vir summus hanc ad legem servandam ordinem verborum l. II. v. 615. mutavit et in v. 309. l. II. mutare voluit, qua in re Bernaysius ei assentiri non videtur: nam hic scripsit v. 615. „matris et ingrati genitoribus inventi sint“ et v. 309. „omnia cum rerum primordia sint in motu“.

Iam ut ad Catullum veniamus, in carminibus eius spondiaci quadraginta duo reperiuntur, quorum triginta (non viginti quinque, ut vult Muellerus) sunt in c. LXIV. (LXIV. 3., 11., 15.,

21) Cic. Tuscul. III. 19. 45.
22) Cic. ad Attic. VII. 2. 1.
23) Hauptii opusc. II. pg. 78.
24) In quaest. epic. pg. 309.—313.
25) Institutio orator. X. 1. 87.

24., 28., 36., 44., 67., 71., 74., 78., 79., 80., 83., 91., 96., 98., 108., 119., 252., 255., 258., 269., 274., 277., 286., 291., 297., 301., 358. LXV. 23. LXVI. 3., 41., 57., 61. LXVIII. 65., 87., 89., 109. LXXVI. 15. C. 1. CXVI. 3.). Decem horum versuum nominibus propriis quattuor syllabarum terminantur et triginta quattuor omnino tetrasyllabis. Reliqui octo versus in trisyllaba exeunt praemisso vocabulo choriambico (LXIV. 74., 96., 252., 291., 297.) vel anapaesto (LXV. 23., LXVI. 57.) vel monosyllabo (LXIV. 44.). Hic versus (LXIV. 44.) unus est ex eis, qui tantum primo loco habent dactylum.

Multo rariores Catullianis spondiaci sunt Ovidii Vergiliique, quorum tamen illis consimilis est ratio. Ille aut tetrasyllabum aut trisyllabum vocabulo choriambico praemisso in fine posuit neque versus in tres spondeos exeuntes vitavit (Metam. I. 117. etc.), hic unum versum in tres spondeos exeuntem vel trisyllabo post vocabulum molossicum terminavit (Georg. III. 276.). De duobus aliis Vergilii spondiacis vide infra. Apud Tibullum ne unum quidem spondiacum reperimus, neque aut Horatius aut Propertius tali versu utuntur, nisi in tetrasyllabum exit devitato quarta in sede spondeo. Apud Horatium omnino quinque inveniuntur (carm. I. 28. 21.; epod. XIII. 9.; XVI. 17.; 29.; ars poet. 467.).

Denique Catulli in c. LXIV. ita tres spondiaci (78.—80.) inter se subsequuntur, ut in Theocriti id. XIII. versus 42.—44.

Ex iis, quae supra de ratione spondiacorum Catulli diximus, in v. 247. c. LXIV. Rossbachii coniecturam „Minoae“ inprobandam esse apparet (cf. Hauptii opusc. II. pg. 78.). Nam Catullus tantum afuit, ut in fine spondiaci bisyllabum poneret, ut ne monosyllabo quidem *σπονδειάζοντα* terminavit, quod semel Ennius fecit et hunc imitando bis Vergilius et semel Iuvenalis itemque Terentianus („spondeis illum primo natum cernis sex“). Neque quisquam Alexandrinus aut poeta Romanus in fine spondiaci bisyllabum posuit praeter Prudentium[26]). Quare Bernaysius non bene libros secutus scripsit Lucretii l. II. v. 309. „omnia cum rerum primordia sint in motu“: quem versum Lachmannus traiectione usus verborum restituisse videtur (supra cf. pg. XI.)

Extremum illud est, ut in c. LXII. et in c. LXVII. et c. LXIV. inter versus 132.—201., qui Ariadnes lamentationem continent, Aegeique in verbis (LXIV. 215.—237.) omnino deesse spondiacos dicamus. Quae res his in carminibus diiudicandis quin aliquid momenti habeat, non dubitamus.

Sed expositis his rebus, quas de spondiacis animadvertimus, accedamus ad caesuras hexametri. Quarum in veteribus poematis Graecis longe frequentissima est *τομὴ κατὰ τρίτον τροχαῖον*. Proximum frequentia usurpat locum penthemimeres, minime autem placuit hephthemimeres. Sed apud Latinos nobilissima semper erat semiquinaria, cuius usus fere quattuor partibus maior est quam semiseptenariae, *τομὴ* autem *κατὰ τρίτον τροχαῖον* magis magisque obsolevit. Haec apud Alexandrinos magno etiam tum in usu erat, sed ita ut esset iam rarior quam antea. In Callimachi epigrammatis, ut exemplo utamur, semiquinaria fere totiens reperitur, quotiens semiseptenaria, sed utraque in eodem numero versuum, quo *τομὴ κατὰ τρίτον τροχαῖον*. Eiusdem autem poetae in hymno in Apollinem scripto quadraginta septem versus *τομὴν κ. τρ. τρ.*, 34 semiquinariam, 15 semiseptenariam habent, praeterea complures versus caesuram bucolicam, quae dicitur (cf. vv. 13., 16.). Atque apud Theocritum in id. XV., quod non modo c. LXIV., sed alia quoque Catulli carmina (vide c. XXXVI. vv. 12.— 14.) iterum ac saepius in memoriam redigit[27]), in versibus septuaginta quinque est semiquinaria, in quinquaginta septem *τομὴ κ. τρ. τρ.*, in sedecim semiseptenaria[28]),

[26]) L. Mueller, de re metr. p. l. pg. 224.

[27]) Confer LXIV. 96. cum id. XV. v. 100. vel LXIV. 47.—49. cum id. XV. v. 127.

[28]) V. 119. neglEximus, quod latet versusne unus sit an ex complurium versuum constet reliquiis.

et in Theocriti epigrammatis etiam frequentior est penthemimeres magis cedente semiseptenaria. Huic poetae consimilis est Catullus in semiquinaria tractanda. Et quoniam apud Catullum aliae quoque res Theocritum saepius in memoriam revocant, hoc fortuitum esse nobis non videtur. Semiquinariae in illius hexametris octo fere partibus maior est usus quam semiseptenariae. Et spondiacorum eius quidem quadraginta duorum quinque non habent semiquinariam (LXIV. 274., 291. LXVI. 41., 57. LXVIII. 89): in duobus enim (LXIV. 291. LXVI. 41.) est τομὴ κ. τρ. τρ., hephthemimeres in ceteris. Atque τομὴν κ. τρ. τρ. apud Catullum praeter versus octo (LXIV. 21., 115., 141., 206., 291. LXVI. 41. LXVIII. 39. CXVI. 7.) inveniri L. Muellerus non comprobat. Nam in reliquis omnibus versibus, quos hac caesura dividi credideris, semiseptenaria quoque inveniri potest, et Muellerus semper hanc esse putat principalem. Idem in praef. ad Catulli librum pg. LXVI. sq. (cf. de re metr. poet. lat. pg. 183 sqq.) semiseptenariae species sex enumerat elegantia et usu diversas, quarum tres longe nobilissimae sunt, et ceterarum alia magis alia est vitiosa ineptaque. In illis versibus caesura auxiliaria est aut semiternaria una cum incisione post tertium trochaeum facta aut semiquinaria aut semiternaria sola. Primae speciei exempla sunt Catulli versus c. LXII. 45., 47., 56., 62. c. LXIV. 54., 72., 135., 137., 156. etc. c. LXVIII. 41. c. LXXVI. 3. c. LXXXIII. 1. c. LXXXVI. 3., alterius versus c. LXII. 6. c. LXIV. 178., 180., 229., 280. c. LXVI. 71., 93. c. LXVIII. 1., tertiae, quae rarius invenitur apud Catullum quam in libris Lucretii, versus c. LXIV. 18., 51., 128., 193., 196., 248. etc. Quartam Muellerus esse dicit speciem semiseptenariae, cui adest sola τομὴ κ. τρ. τρ., sextam autem et eam deterrimam fieri in eis versibus, qui praeter hephthemimeren habent incisionem post trochaeum et secundum et tertium. Illius generis exempla fortasse habent versus c. LXIV. 227. et c. LXVI. 11., hanc in normam quadrant versus c. LXVII. 27. et c. LXVIII. 81. Qua ex re Catullum sextam speciem magis quam quartam non vitasse apparet, si modo hac usus est. Quod Muellerus versum c. LXIV. 405. (omnia fanda nefanda malo permixta furore) quartae speciei exemplum esse censet, assentiri id ei non possumus. Immo post trochaeum tertium hoc in versu principalis esse caesura nobis videtur. — Quintae speciei, quam Muellerus ita esse proposuit, ut tres illae caesurae auxiliariae desint, apud Catullum exemplum omnino non est, sed est apud Lucretium (c. c. I. 302.) saepiusque apud Vergilium, cuius septem versus Muellerus (l. l.) protulit. — Ex eis, quae nunc diximus, semiseptenariam saepissime una cum semiquinaria aut cum fine verbi post trochaeum tertium reperiri in versibus apparet. Quare dubitari saepe potest, quae harum caesurarum principalis sit ducenda. Quodsi de semiseptenaria et semiquinaria agitur, Muellerus recte videtur diiudicavisse contextus et continuationis sermonis ratione habita interpunctionisque verborum. At contra, si semiseptenaria una cum incisione post tertium trochaeum in versu aliquo inveniuntur, semper illam principalem esse vult ratione verborum omnino non habita. Qua in re quem locum Catullus inter poetas Latinos obtineat, parum respexisse et hunc poetam lege aetatis Augusti metiri mihi videtur. Cuius aetatis poetae caesura post tertium trochaeum non utuntur, et quamquam eae causae, quibus ille vir doctissimus in illo Vergilii versu „infandum regina iubes renovare dolorem" (Aen. II. 3.) vel in Catulliano „omnia fanda nefanda malo permixta furore" hephthemimeren principalem esse vult demonstrare, ex poesi iam adulta Romanorum recte sunt petitae, nullo tamen modo ad Catullum quadrant. Quod autem idem apud Latinos ad fulciendam divisionem semiquinariam neque trithemimeren adhiberi nec bucolicam distinctionem affirmat, hoc me non intellegere fateor: nam versus eiusmodi apud omnes fere poetas Latinos reperiuntur. Quaestio quidem inferri potest, quam vim hae caesurae auxiliares habuerint. Sed quantum potest, Muellerus id agit, ut caesuram post tertium trochaeum Catullo deroget, neque eam esse nisi in illis octo huius poetae versibus vult, quos supra memoravimus, quippe cum aliam esse in eis caesuram probari omnino non possit. Sed quoniam hic Catulli hexametros, in quibus illa sit caesura, inveniri concedere debet, illa ratio eius

est vis quaedam versibus poetae allata. Et res videtur ita se habere. Nam Catullus, qui Alexandrinos potissimum poetas imitatus est, ne in hac quidem re ab eis valde abhorret. Caesuram enim post tertium trochaeum tam saepe apud Alexandrinos non reperiri quam in poematis antiquissimis Graecis, sed satis valde eam quoque eis placuisse, supra iam diximus, et ibidem Theocritum caesuram in fine tertii trochaei rarius iam posuisse Callimacho docuimus. Et poetae Latini ut metra a Graecis sumpta multum immutaverunt et quasi stabiliverunt, ne nimis mollia essent neve fluctuarent, ita in hexametris τομὴν κ. τρ. τρ. parum virilem esse optimus quisque poeta putavit et magis magisque ea abstinuit. Quem quidem usum et nascentem et crescentem et adultum observare possumus ac nascentem apud Catullum ipsum intellegere nobis videmur. Nihil est, quod hunc post tertium trochaeum fine verbi usum esse denegemus. At recte quidem, ut in semiquinaria diiudicanda vel semiseptenaria Muellerus ipse facere solet, interpunctionem verborum contextumque sermonis animadvertere debemus. Quamquam, si id agimus, nonnulli quoque versus in dubium vocantur, ut in illo versu Vergiliano „infandum regina iubes renovare dolorem“ alii caesuram principalem esse τομὴν κ. τρ. τρ., alii, quibus nos assentimur, semiseptenariam dicunt, plurimis tamen in versibus de hac re certo disceptari potest, dummodo ne opinione praeiudicata ducamur.

Sed primum consideremus c. LXIV. versus illos 146. (nil metuunt iurare, nihil promittere parcunt) et 148. (dicta nihil metuere, nihil periuria curant), quorum uterque ita duabus partibus constat, ut verba verbis respondeant et prior pars post tertium trochaeum finiatur. Itaque fieri non potest, quin hoc loco caesuram principalem semiseptenariamque esse auxiliariam putemus.

Deinde res similiter se habet in nonnullis versibus, quorum parti priori post tertium trochaeum finitae sententia eodem tenore progrediens adiungitur. Huiusmodi exemplaria sunt c. LXIV. v. 195. (huc huc adventate, meas audite querellas) et v. 232. (haec vigeant mandata, nec ulla oblitteret aetas); quo in numero sunt quoque c. LXII. vv. 9., 13., 16. c. LXIV. v. 253. c. LXVII. v. 39. c. LXXIII. 3.

Tum tres alii versus (LXII. 60. non aequum est pugnare, pater cui tradidit ipse, — 61. ipse pater cum matre, quibus parere necesse est — LXIV. 73. illa tempestate, ferox quo ex tempore Theseus) simili ratione dividi videntur, quia inde ab thesi secunda dactyli tertii sententia secundaria initium capit.

Praeterea c. LXVI. in v. 35. (si reditum tetulisset. Is haut in tempore longo) ob enuntiatum a tertio trochaeo inchoatum ibidem caesuram esse principalem volumus, ut simili ratione hephthemimeren in v. 3. c. XCIX. (verum id non impune tuli: namque amplius horam).

Accedunt quattuor versus, in quibus ob interpunctionem verborum aliis ex causis adhibitam τομὴ κ. τρ. τρ. videtur esse (LXIV. 23. heroes, salvete, deum genus, o bona matrum — LXVI. 39. invita, o regina, tuo de vertice cessi — 89. tu vero, regina, tuens cum sidera divam — CIX. 1. iocundum, mea vita, mihi proponis amorem) et pari modo c. LXIV. in v. 324. (Emathiae tutamen opis, clarissime nato) esse hephthemimeren putamus.

Denique contextus sermonis ratione habita τομὴν κ. τρ. τρ. esse censemus in versibus c. LXII 65. LXIV. 6., 152., 271., 405. (omnia fanda nefanda malo permixta furore), semiseptenariam autem in versibus c. LXIV. 54. (indomitos in corde gerens Ariadna furores), 72., 135., 137., 166., 173., 218., 288., 384., 395. LXVI. 51., 69. LXVII. 27. LXVIII. 81. LXXXI. 1. LXXXVI. 3. LXXXVII. 5. LXXVI. 3.

Ad extremum in dubium vocari posse putamus semiseptenariane sit an τομὴ κ. τρ. τρ. in versibus LXIV. 227., 266., 274. LXVI. 11. („qua rex tempestate novo auctus hymenaeo“; in hoc versu propter hiatum fortasse hephthemimeres accipi potest, quamvis verborum continuatio τομὴν κ. τρ. τρ. probare videatur), 45., 57., 85. LXVIII. 41., 89. LXXXVII. 7. CI. 5. CIV. 1.

Quamquam in nonnullis illorum versuum, quos incisione post tertium trochaeum dividi censuimus, hephthemimeren esse caesuram quispiam dixerit, ostendisse tamen certe nobis videmur, Catullum praeter illos octo versus, in quibus Muellerus *τομὴν κατὰ τρίτον τροχαῖον* esse concessit, in aliis multis eam adhibuisse et, quod attinet ad hexametri caesuras, a Theocrito prope abesse.

Consideremus iam alias incisiones, quae in Catulli hexametris inveniuntur, et videamus, quae de finibus pedum dicenda sint. Ac primum quidem finem verbi post pedem secundum hexametri poetas Romanos non minus evitare quam Graecos solere monendum est, sed Ennius Lucilius Lucretius Cicero vocabulum dactylicum vel spondiacum in secundo loco collocaverunt. At Catullus spondiacum vocabulum omnino in hac sede ponere omisit, et dactylica vel vocabula in dactylum cadentia aeque atque Horatius Vergilius Propertius posuit (LXVII. 25. XCVII. 3., 5. LXIV. 141.). Ceteroquin ille poeta in pede secundo maiore licentia quam Augusti aetatis poetae usus est: neque enim in fine huius pedis monosyllaba vitavit vel vocali producta vel correpta (LXII. 61., 62., 64. LXIV. 34., 140., 156., 173. etc. LXXII. 3. LXXVII. 5. LXXX. 5. LXXXI. 5. LXXXVI. 1., 5. LXXVI. 15., 17., 25. aliisque in versibus) neque vocem pyrrhichiam non solum in versibus caesura semiseptenaria divisis (LXIV. 6., 18., 128., 137., 193., 196.), sed etiam ante penthemimeren (LXII. 8., 58. LXIV. 167. LXVIII. 9., 11. LXXXII. 1.).

Deinde pro pede tertio vocabula dactylica vel spondiaca saepius apud Ennium Luciliumque[29], raro apud Lucretium (I. 570. IV. 491.) et in Horatii epistulis, apud Catullum omnino non reperiuntur. Similiter autem atque in pede secundo hic etiam in fine pedis tertii monosyllaba posuit, quod etiam Ovidius et Vergilius fecerunt, sed rarius ibi vocem pyrrhichiam adhibuit (LXIV. 78. LXIX. 5. LXXXIX. 5.), qualis et secundi pedis et tertii in fine invenitur in v. 58. c. LXII. (cara viro magis et minus est invisa parenti).

Tum post quartum trochaeum veteres epici Graeci finem verbi raro admiserunt, rarius poetae Graeci temporum posteriorum. Talem incisionem pessime adhiberi in versibus, quarum caesura sit *τομὴ κ. τρ. τρ.* vel hephthemimeres, apparet. Itaque poetae Romani, qui illa caesura plane se abstinuerunt, incisionem post quartum trochaeum minus evitaverunt. Catullus autem, quippe cum *τομὴν κ. τρ. τρ.* saepius adhiberet, etiam hac in re Alexandrinos secutus est et raro eam admisit (LXVIII. 49. LXXIII. 5. LXXXIV. 9. LXXVI. 1. CI. 1., quibus omnibus in versibus caesura est penthemimeres), nunquam in carminibus LXII. et LXIV.

Quoniam de fine pedum dixi, nunc de hexametri ipsius fine pauca dicam. Atque in hac quoque re Catullum poetarum Augusti aetatis quasi ducem fuisse exploratum est. Veteres epici Graeci iam leges sibi proposuisse de exitu versuum non videntur: namque ut supra exposuimus, versus quintum ac sextum pedem verbis varie occupaverunt. Sed Alexandrini huic rei modum quendam adhibuerunt. Et ab iis proxime abesse Lucretius videtur, inter quem et optimos poetas Latinos Catullus est. Illi de exitu hexametri hanc legem secuti sunt, ut vocabula quattuor vel plurium syllabarum vitarent, neve monosyllabum in fine ponerent monosyllabo non praecedente, neu arsim quintam esse ultimam vocabuli syllabam paterentur. Nobilissimi versuum exitus apud eos ita sunt, ut aut pes ultimus bisyllabo constet, quod vocem dactylicam spondiacamve sequatur vel vocabulum in dactylum spondeumve cadens (—⏑⏑ —⏑⏑ —⏑⏑ —⏑⏑ —⏑⏑¦—⏑), aut amphibrachyn in fine posuerint praecedente voce trochaica vel in trochaeum exeunte (—⏑⏑ —⏑⏑ —⏑⏑ —⏑⏑ —⏑¦⏑ —⏑). Tum illic dactylus incidi etiam potest aut post arsin ita, ut haec monosyllabo constet (—⏑⏑ —⏑⏑ —⏑⏑ —⏑⏑|—¦⏑⏑¦—⏑), aut post priorem syllabam brevem (—⏑⏑ —⏑⏑ —⏑⏑ —⏑⏑ —⏑¦⏑¦—⏑) aut post arsim et thesim priorem (—⏑⏑ —⏑⏑ —⏑⏑ —⏑⏑¦—¦⏑¦⏑¦—⏑). Deinde ultimus pes duobus monosyllabis constare potest (—⏑⏑ —⏑⏑ —⏑⏑ —⏑⏑ —⏑⏑¦—¦⏑), qualis versus post arsim quoque quintam ita incidi

[29]) L. Mueller, de re metr. poet. lat. pg. 217.

potest, ut haec monosyllabo constet (– ⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏑⏑ | – | ⏑⏑ | – | ⏑). Denique in versu secundae speciei arsis quinta monosyllabum esse potest (– ⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏑⏑ | – | ⏑ | ⏑ – – ⏑). Quorum octo generum L. Mueller in praef. ad. Cat. l. pg. LVII. sex tantum prima enumeravit. Atque Catulli hexametrorum longe plurimi secundum primam alteramve speciem exeunt, sed illius exitus fere altero tanto maior est numerus quam huius. Et tertiae speciei, quam exposuimus, quindecim versus sunt (LXIV. 23., 304. LXVI. 25. LXVIII. 147., 153., 155. LXIX. 5., 7. LXXVI. 17. LXXXIX. 1. XCI. 1. XCII. 1. XCIX. 13. C. 5. CVI. 1.), quartae duodecim (LXIV. 128., 132., 167., 168., 198. LXX. 3., 21. XCI. 9. XCV. 5., 7. XCVII. 7. CXIII. 3.), nullus quintae, septem sextae (LXII. 9., 13. LXVII. 9., LXVIII. 41. LXXXIII. 5. LXXXIX. 5. CXI. 3.), bini septimae (LXVII. 43. CVII. 7.) et octavae (LXVI. 31. CII. 1.). — Deinde, ut de versu 157. c. LXVIII. ob corruptelam verborum taceamus, et duo versus (LXIV. 58. XCVIII. 3.) reperiuntur tertiae speciei, in quibus quinta arsis monosyllabum non est, et octo versus (LXII. 45. LXIV. 315. LXVI. 63., 91. LXVIII. 19., 33. CVII. 5. CXV. 3.), qui in monosyllabum exeunt praecedente voce iambica. Praeterea in fine v. 1. c. CXII. (Multus homo es, Naso; nec tecum multus homo est, qui) tria monosyllaba leguntur; qui versus ea quoque de causa insignis est, quod secundaria sententia aliqua ab ultima eius syllaba incipit.

Tum vocibus quinque syllabarum Catullus sexies ita utitur, ut ultimos duos pedes hexametri contineant, et ex eis quinque vocabula Latina sunt (LXII. 8. LXIV. 114., 152., 205. XCVII. 5.), unum nomen proprium Graecum (Laodamia in v. 105. c. LXVIII.).

Postremo, ut triginta quattuor *σπονδειάζοντας*, quorum quintus sextusque pes tetrasyllabo constant, praetermittamus, quattuordecim versus restant, qui in tetrasyllabum exeunt. In his vero et octies (LXII. 5., 10., 19., 25., 31., 38., 48., 66.) versus intercalaris „Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee“ invenitur, et quater (LXII. 4. LXIV. 20., 141. LXVI. 11.) eadem vox „Hymenaeus“ in fine versus est; c. LXIV. v. 319. vocabulo Graeco „calathisci“ et c. CX. v. 3. solus vocabulo Latino (inimica's) finitur.

Illud ad extremum de Catulli hexametris dico, duos (LXIV. 298. CXV. 5.) esse versus hypermetros et eos in vocem encliticam „que“ exire.

2. Restat, ut de versu pentametro loquamur, quem versum Catullus in litteras Romanorum quasi induxit. Ante eum enim poetae Latini hoc metro tam raro usi sunt, ut fortasse inveniri non possint nisi in Ennii epigrammatis ex Graecis conversis aut in Varronis saturis aut in epigrammatis malis Aeditui ac Catuli aliorumque eiusmodi[30]). Quare Catullus princeps homo Latinus dici potest, qui elegias scripserit, quo factum est, ut ars metrica in pentametris eius vix adulta esse videatur. Quo etiam fit, ut in secundo pede prioris membri voces dactylicas vel spondiacas quater (LXXVI. 26. XCI. 6. XCII. 2. XCIII. 2.) inveniamus. In membro autem altero a spondeis poeta iam abstinet. Imprimis in fine huius membri offensio neglegentiae est rei metricae optimorum poetarum ratione habita. Exitus enim nobilissimus pentametri, qui similis est secundae speciei hexametri, quoniam voce iambica constat, in centum viginti duobus versibus apud Catullum reperitur, cum omnino trecenti viginti duo eius sint pentametri. Quodsi vocem iambicam monosyllabum antecedit, quo prior thesis ultimi dactyli constet, arsis quoque huius monosyllaba esse debet. Sed hanc legem Catullus in c. XCII. vv. 2. et 4. non servavit, quibus in versibus vox iambum ultimum antecedens elisione fit monosyllaba. Deinde, quod optimo cuique licet, in trisyllabum duodenonaginta pentametri Catulli exeunt; sed etiam unum et nonaginta versus poeta tetrasyllabo finivit, et imprimis notandus est versus c. LXVIII. 112. (audit falsiparens Amphitryoniades), cuius colon alterum constat vocabulo septem syllabarum[31]). Tum unus c. LXXVI. v. 8.

[30]) Gellii noctes Attic. XIX. 9.

[31]) Similis huic versui est c. LXVIII. v. 74., cuius hemistichium prius vocabulo „Protesilaeam“ continetur.

(aut facere, haec a te dictaque factaque sunt) monosyllabo finitur, quod factum est secundum primam speciem exituum hexametri. Optimus quisque poeta a tali exitu pentametri abstinet, et ille versus Catulli ceteroquin parum etiam elegans est.

Atque in fine prioris hemistichii neque hiatum nec syllabam esse ancipitem poetae optimi patiuntur, sed vocalis elisionem. Idem Catullus fecit et elisione vel synaloephe duodecies usus est (LXIV. 82., 90. LXXI. 6. LXXIII. 6. LXXVII. 4. LXXV. 4. XC. 4. XCI. 10. XCV. 2. XCVII. 2. XCIX. 12. CIV. 4.). Et altero in hemistichio aeque ac poetae posteriores spondeos omnino devitavit, sed si Lachmannus recte coniecit, c. CXIV. in v. 6. (saltum laudemus, dum domo ipse egeat) inter vocem iambicam in vocalem desinentem et syllabam acutam hiatus locum obtinet, quae tamen res offensionem habet aliquam.

3. Denique cum apud posteriores elegiarum poetas sententia disticho ipso contineatur, Catullus continuatione quadam verborum disticha haut raro miscet (LXVI. 8. sq., 24. sq., 52. sq., 60. sq., 80. sq. LXVIII. 28. sq., 64. sq., 70. sq., 74. sq., 82. sq., 106. sq., 126. sq. LXXXIX. 2. sq. CXIII. 2. sq.; praeterea, ut Hauptium sequamur, LXV. 9. cum versu antecedente).

B. De rebus, quae ad prosodiam pertinent.

Quoniam de singulis metris dictum est, ne eae quidem res praetermittendae nobis videntur, quae ad prosodiam pertinent.

CAPUT I.

1. Ac primum quidem vocalem ante vocalem Catullum non semper corripere animadvertimus: nam c. X. v. 31. in vocabulo „Gaĭus" vocali a longa utitur itemque, ut alii quoque poetae, a et ē in finibus ai et ei substantivorum in aius vel eius desinentium (e. c. in c. LXVIII. v. 109.: quale ferunt Grai Pheneum prope Cylleneum). Sed usu genetivorum in ius exeuntium Catullus longe abesse ab aliis videtur: qua de re accurate diligenterque Ritschelius[32]) disseruit. Atque haec summa est disceptationis viri illustrissimi, saeculo a. U. c. sexto septimoque in illis genetivis vocalem i saepius productam quam correptam fuisse, Ciceronis autem aetate fere semper brevem, Quintiliani[33]) temporibus solum longam; Prisciani[34]) quoque aequales hanc vocalem produxisse excepto genetivo „alterius". Quod de Ciceronis temporibus dictum est, praecipue huius verbis, quae in l. III. de oratore 47., 183. scripta videmus, Lachmannus[35]) probavit, et Ritschelius[36]) eiusdem rei testem Catullum laudavit, qui ne semel quidem genetivi in ius exeuntis syllabam paenultimam produxerit. Fugit autem virum illustrissimum genetivus „illius" in c. LXVII. v. 23. (sed pater illīus gnati violasse cubile). Omnibus quidem in aliis genetivis in „ius" poeta vocalem i corripuit et invenimus „unĭus" (V. 3.), „ullĭus" (IV. 3.), „totĭus" (XVII. 10. XXXVII. 9.), „alterĭus" (bis in c. LXXVIII. v. 2.), „utrĭusque" (LXVIII. 39.), „ipsĭus" (LXIV. 43., 67. LXVIII. 146.), „illĭus" (III. 8. X. 32. XI. 22. LXI. 226. LXIV. 348. LXVI. 85. LXVIII. 44.). Quare istum versum, in quo libri editoresque „illīus" habent, non integrum et in verbo „illīus" esse corruptelam suspicamur: accedit quod Scaligerus iam causa nescio qua legendum esse „sed pater ille sui gnati violasse cubile" coniecit.

---

32) Opusc. II. pg. 662.—708.

33) Instit. orat. I. 5. 18.

34) l. VI. 7. 37.

35) Rhein. Museum f. Philol. N. F. II. pg. 820.

36) Opusc. II. pg. 676. sq.

Deinde etiam Catullus vocalem o praepositionis pro in compositis plerumque corripit (prŏfanus, prŏcella, prŏficiscor), sed interdum hanc vocalem o longam esse patitur aliter atque plurimi poetae (ut exemplo utamur, „prōfudit“ in c. LXIV. v. 202. invenitur). Syllaba „re“ ut in compositis corriperetur, hic poeta videtur imprimis effecisse. Et pro vocabulo „redducendi“, quo antiquiores utuntur, „reducere“ scripsit in c. LV. v. 11. et in c. LXXVI. v. 11. (cf. reducem in c. LXIV. v. 237.), neque omnino apud eum haec syllaba consonantis duplicatione sequentis producitur nisi in verbis „reppererit“ (LXXIX. 4.) et „relligio“ (XC. 4.); alia enim ratio est verbi „reiciendi“, de quo infra dicemus.

Praeterea in verbis, quae ex verbo „facere“ et altero vocabulo composita sunt, Catullus e ante f corripere iam coepit, ut praeter tepĕfaciet (LXIV. 360.) et „liquĕfaciens“ (XC. 6.) inveniamus „tepĕfactet“ (LXVIII. 29.), „madĕfient“ (LXIV. 368.), „patĕfecit“ (LXVIII. 67.), „labĕfactes“ (LXIX. 3.).

Post in verbis Graecis Catullus quantitatem peregrinam servat, in „aerio“ (LXVI. 6.), „aerii“ (LXVIII. 57.), „Nerēides“ (LXIV. 15.), „Penios“ (LXIV. 285.), „Naiasin“ (LXIV. 287.), „Trōia“ (LXV. 7.), „Ĕoa“ XI. 3.), „Ĕous“ tandem (LXII. 35.) Schradero auctore; itemque in „Thyiadas“ (LXIV. 391.) vocalem y producit, quo tamen in verbo vocalis i subsequens pinguescit (cf. Horatii c. II. 19. 9. III. 15. 10.). In „Pegasĕo“ vero (LV. 24.) e corripit, ut Graeci quoque pro ειος interdum ιος vel εος admittunt. Idem exsisteret una cum synaloephe, si Italos sequentes in c. LXIV. 178. „Idomeneosne“ scriberemus. Sed hic Lachmannus (ad Lucretii l. III. v. 917.) genetivum „Idomenĕūs“ coniecit ex versu Homerico *N* 424. (*Ἰδομενεῦς δ' οὐ λῆγε μένος μέγα*); quem genetivum scite esse excogitatum Hauptius in opusc. l. II. pg. 73. dixit, paulo tamen infra verba addidit „sed apparet non plane certam esse emendationem“. Alter genetivus eiusmodi est *Ὀδυσεῦς* in *ω*. 398.

Tum in verbis ipsis Catullus ante mutam cum liquida non aliter utitur vocalibus ac ceteri poetae; quamquam quasi ludicrum esse acuminis videtur, quod in uno c. LXXI., quod e sex versibus constat, „podăgra“ et „podāgra“ admittit.

Ad extremum praetermittendum non est, quod semel vocalem brevem arsi intentam invenimus (LXVI. 84: sed quae se impuro dedit adulterio).

2. Iam apud antiquiores poetas Latinos litterae i vel u ante vocalem brevem ita delitescunt, ut et illi consonantes fiant et haec non producatur. Sed ne brevem quidem vocalem ante i pinguescens illi poetae intendunt, quod inde ab Vergilio faciunt omnes poetae[37]). Idem Catullus non facit nisi ante syllabam verbi ultimam littera m finitam, in vocabulis „Camĕrium“ (LV. 10.) et „conŭbium“ (LXII. 57.); hanc vocem esse choriambicam Muellerus falso videtur putare[38]). Hoc *συνεκφωνήσεως* genus apud Graecos non invenitur; quare Catullum id fere vitasse apparet. Neque tamen facere potuit, quin in illis singularibus causis usum poetarum Latinorum antiquissimum sequeretur. Plane vero illam *συνεκφώνησιν* in vocabulis Graecis aspernatur. Nam Graecos imitans voce „Troia“ bisyllaba utitur in c. LXVIII. vv. 88., 89., 90., 99. et „Troia“ (*Τρώιος*) adiectivo trisyllabo in c. LXV. v. 7. (Troia Rhoeteo quem subter litore tellus); praeterea Lachmanni emendatione in c. LXVI. v. 58. recte „Graia“ legitur. — Quibus rebus expositis Catullum in c. LXIV. v. 37. „Pharsaliam coeunt“ non scripsisse, sed Pontani emendationem „Pharsalum coeunt“ Lachmannum recte recepisse manifestum est. Hauptius in obs. crit. fasciculo octavo „Pharsaliam“ etiam aliis ex causis offendere comprobavit: sed Catulli usus ille verborum Graecorum hoc prorsus confirmat.

Tum in compositis verbi „iacere“ apud Catullum aeque atque apud alios poetas Latinos

37) cf. Lachmanni ann. ad Lucretii l. II. 991. et ad l. III. 917.

38) De re metr. poet. lat. pg. 258. sq.

ante Ovidium consonans i vel positionem efficit vel per synizesin cum vocali quadam praecedente ita coniungitur, ut ē vel ō sit dicendum vocali i resonante (ut exemplo utamur, in c. LXVI. v. 81: tradite nudantes reiecta veste papillas), ut in verbis „dein“ et „deinde“ (V. 7., 8., 9., 10. CIII. 2.); itemque fortasse apud hunc poetam substantivum „Troia“ est legendum.

3. Denique in verbis ipsis hiatus synizesi vitatur, cuius in usu Catullus easdem fere leges atque aequales seryat: at cum apud Lucretium Luciliumque casus pronominum „tuus“ et „suus“ synizesi admissa nonnunquam inveniantur, ille his formis semper bisyllabis utitur (sŭī II. 7.; sŭīs III. 5.; sŭam III. 6.; tua III. 17.; tŭō IV. 16., 17. etc.). Deinde dativus „ei“ monosyllabus est in c. LXXXII. v. 3.; sed quod Lachmanni coniectura accepta is in c. XXXVIII. v. 2. mensuram iambicam habet, quae primum in Ovidii halieuticis v. 34. invenitur, Muellerus[39]) coniecturam illam improbare merito videtur. Tum quod veterrimum in poesi Latina est, synizesis apud Catullum fit in „deesse“ (LXIV. 151.) et „praeeptare (LXIV. 120.). Postremo singularis quaedam invenitur synizesis (XL. 1.) in nomine proprio Ravide“.

Restat, ut exempla afferamus synizesis Graecanicae a Catullo Graecos imitando primum adhibitae, qua vocalis e et finalis longa in unam syllabam contrahuntur. Inde a Catullo poetae Latini hac synizesi nisi in nominibus propriis perraro usi sunt, et apud illum quater in nominibus reperitur in c. LXIV. (v. 120. omnibus his Thesei dulcem praeoptarit amorem — v. 229. quae nostrum genus ac sedes defendere Erechthei — v. 336. qualis adest Thetidi, qualis concordia Peleo — v. 382. talia praefantes quondam felicia Pelei).

Contraria synizesi est diaeresis, quam et apud antiquiores poetas Latinos et apud Lucretium haut raro invenimus, apud Catullum in his verbis: soluit (II. 13.), soluunt (LXI. 53.), dissoluo (LXVI. 38.), evoluam (LXVI. 74.), pervoluent (XCV. 6.), Gaius (X. 31.).

CAPUT II.

Reliquum est, ut de vocalibus in fine vocabulorum collocatis verba faciamus.

1. Et primum quidem ad productionem vocalis positione effectam revertamur. Catullus enim vocalem brevem in fine verbi non modo ante „gn“ producit, ut alii quoque poetae facere solent, sed etiam saepius ante aliam mutam liquida r sequente (IV. 9. Propontida trucemve Ponticum sinum — 18. et inde tot per impotentia freta — XXIX. 4. habebat ante et ultima Britannia) et sexies in arsi sequente s cum muta aliqua (XVII. 24. si pote stolidum etc. — XXII. 12. hoc quid putemus esse? qui modo scurra — XLIV. 18. nec deprecor iam, si nefaria scripta — LXIII. 53. ut aput nivem et ferarum gelida stabula forem — LXIV. 186. nulla fugae ratio, nulla spes: omnia muta — LXVII. 32. Brixia Chineae[40]) supposita speculae). Contra in thesi ante verbum ab s cum muta incipiens semel vocalem habet, quam tamen non producit (LXIV. 357. testis erit magnis virtutibus unda Scamandri); idem est etiam ante vocabula Latina apud Lucilium, Lucretium, Propertium, in Horatii sermonibus. Ennius vocalem in loco eiusmodi vel producit. — Praeterea Catullum ter in arsi contendisse syllabam brevem exeuntem in consonantem ante vocabulum a littera h incipiens hic omittere nolumus (LXII. 4. iam veniet virgo, iam dicetur Hymenaeus — LXIV. 20. tum Thetis humanos non despexit hymenaeos — LXVI. 11. qua rex tempestate novo auctus hymenaeo).

2. Cum ante finalem altera vocalis est, tum illa sola eliditur, quamquam hoc quoque modo hiatus exsistit. Elisionis huius aliquot exempla ex Catullo sunt haec: IV. 17. tuo imbuisse palmulas in aequore — V. 1. vivamus, mea Lesbia, atque amemus — XI. 13. omnia haec, quaecunque feret voluntas. — Ea elisio saepe apud Catullum ita fit, ut verbum eadem vocali, quam ipsum in fine habeat, excipiatur (III. 8. nec sese a gremio illius movebat — IV. 11. comata

[39]) De re metr. p. l. pg. 272.

[40]) seu mavis: „cycneae“.

silva: nam Cytorio in iugo — V. 6. nox est perpetua una dormienda — VI. 11. argutatio inambulatioque — etc.); praecipue huius generis memoratu digna elisio est in versu hypermetro c. XI. 19. (nullum amans vere, sed identidem omnium | ilia rumpens). — Praeter hunc versum hypermetri sunt inter sapphicos glyconeosque vv. XI. 22. XXXIV. 11., 22. LXI. 122., 142., 147., 191., 234.

Sed vocalis longa vel diphthongus aliqua praecedere potest finalem productam aut brevem, ita ut conditiones fieri possint quattuor[41]), quarum in duabus apud Catullum finalis eliditur, bis in c. LXVIII. v. 99. (sed Troia obscena, Troia infelice sepultum) longa diphthongo subiecta et saepius brevis diphthongo subiecta ante litteram h („Hymenaee Hymen" et „Hymenaee io") in c. LXI.; at in versu intercalari c. LXII. elisio probari non debet in verbis „Hymenaee Hymen", quoniam vocalis y apud hunc quoque poetam anceps est. Sed utriusque generis elisionis, quod Catullus admittit, apud Lucretium Horatium Tibullum exempla omnino non inveniuntur. — Longa autem vocalis sive diphthongus longam vocalem sequens nunquam eliditur, atque verba in brevem longae vocali subiectam exeuntia lingua Latina non habet praeter „die" et „dia", et in vocabulis eiusmodi Graecis brevis vocalis in fine positus haut saepe eliditur.

3. Ceterum variae sunt causae, quae ad elidendas vocales poetam commovere vel elisiones omnino prohibere possint, et mensura et ambitus verbi, et locus, quem hoc usurpat in versu, et syllaba subsequens et arsis thesisve. Sed Catullus in his rebus leges severas nondum servat, quas posteriores sibi proposuerunt; de qua re Hauptius in fasc. III. obs. crit. haec dixit: „multo minorem, quam Lucretius, cuius versus immerito habentur inconditi, ut in aliis quibusdam rebus metricis ita etiam in hoc elisionis genere cautionem adhibuit Catullus". Hoc quidem imprimis Hauptius de elisione longae finalis ante brevem vocalem disserit, quam elisionem Catullum in sapphicis nunquam et in glyconeis semel (LXI. 77.) adhibuisse idem non reticet. Neque vero hanc elisionem Lucilius Horatiusve in sermonibus omnino vitaverunt. — Sed Catullus interdum in causa eiusmodi etiam hiatum patitur longa finali vel servata vel correpta.

Ut ad singula veniamus, in vocabulis iambicis Catullus ab aliis poetis multum abhorret. Nam cum primum optimi poetae horum vocabulorum syllabam extremam exeuntem in vocalem ante arsim, quae prima est syllaba vocabuli plus quam disyllabi, raro elidant, hic permagnum huius elisionis amorem praestat (IV. 17. tuo imbuisse — XV. 8. sua occupati — XXII. 7. novi umbilici — L. 1. die otiosi — etc.). Tum „ne post vocabulum iambicum in vocalem desinens syllaba acuta ponatur nisi cum hiatu", poetas cavisse Lachmannus ad Lucret. l. III. v. 954. annotavit, et Catullus hanc legem servans hiatum habet in c. LXVI. v. 11. (qua rex tempestate novo auctus hymenaeo — cf. c. LXVIII. v. 158. CVII. 1. CXIV. 6., in quibus longa finalis est correpta), sed vocabulorum iambicorum syllabam extremam ante „atque" elidit in c. XII. v. 2. (non belle uteris in ioco atque vino) et in c. CI. v. 10. (atque in perpetuum, frater, ave atque vale). De verbis „mane inquii" in c. X. v. 27. disceptari non potest, cum verba huius versus in dubium vocentur. At „homo" in versibus c. XXII. 2. LXVII. 47. LXXVIII. 3. 5. CXII. 1., ubi extrema eius syllaba ante „es" vel „est" eliditur, pes est pyrrhichius, ut in c. quoque XXIV. v. 7. et in c. CXV. v. 8., non iambus, ut in c. XVII. v. 2. et in c. LXXXI. v. 2. Hanc correptionem litterae finalis o et in verbis et in nominativis substantivorum iam comici ex usu vulgari acceperunt, poetae autem aetatis Augusti fere prorsus repudiaverunt. Apud Catullum itidem vocalem o correptam invenimus in „puto, amo, volo, nescio, dabo" (XXII. 4. XLV. 3. VI. 16. II. 6. XIII. 11.).

Itemque Catullus in elisione postremae syllabae vocabulorum creticorum multum sibi indulget. Iam Lucretius talem syllabam nunquam videtur elisisse, et apud poetas posteriores perraro haec elisio invenitur (cf. L. Müller, de re metr. p. l. pg. 285. sq.). Apud Catullum ea omnino non est in illis duobus carminibus, quae ex hexametris solis composita sunt (LXII. et LXIV.),

[41]) Lachmann ad Lucretii l. III. v. 374.

sed in carminibus factis imparibus modis bis reperitur in primo aut quinto pede hexametri ante thesim brevem (LXVI. 59. ardui ibi vario ne solum in lumine caeli — CIV. 3. non potui, nec, si possem, tam perdite amarem) et bis alterius membri pentametri in primo pede ante thesim brevem (XCI. 2. in misero hoc nostro, hoc perdito amore fore — XCVII. 6. gingivas vero ploxemi habet veteris). In carminis autem LXXXV. v. 2. (nescio, sed fieri sentio et excrucior) verbum „sentio" ex Catulli usu dactylicum, non creticum esse censemus. Atque in carminibus lyricis poeta verborum creticorum ultimam syllabam elisit et ante thesim brevem in c. XLV. v. 3. (ni te perdite amo atque amare porro), in quo verba „perdite amo" eodem modo leguntur atque „perdite amarem" in c. CIV. v. 3., et ante arsim in c. IV. v. 15. (ait phaselus: ultima ex origine). Versus tamen 1. et 12. c. XXXI. non afferimus, quia mensura nominis „Sirmio" in dubium vocari potest. Tum in c. LVII. v. 7. (uno in lectulo erudituli ambo) poeta post vocabulum creticum hiatum patitur postrema syllaba correpta. Item ultima syllaba vocabuli cretici hiatu non admisso corripitur in c. X. v. 26., quem libri praebent (istos commoda: nam volo ad Serapim); sed Handium iam recte emendasse constat: „istos: commodum enim volo ad Serapim".

Denique in spondiacis quoque vocabulis vel in iis, quae in spondeum exeunt, Catullus multa licentia utitur. Nam saepe horum verborum postremam syllabam elisit, sed quas leges observaverit ante arsim thesimve longam, enucleare non possumus, possumus ante thesim brevem. In c. LXII. exemplum huius elisionis omnino non est, quae in c. LXIV. ter in primo pede reperitur (v. 70. toto animo — v. 149. certe ego — v. 372. quare agite —); in reliquis hexametris non est nisi in locis imparibus (LXXXV. 1. odi et amo — CII. 1. si quicquam tacito commissum est fido ab amico — CXVI. 1. saepe tibi studioso animo —), in pentametris bis in prioris hemistichii primo pede (LXVIII. 40. ultro ego — LXXIII. 4. immo etiam —), in choliambis bis in primo pede (XXXVII. 19. XXXIX. 16.), in hendecasyllabis sexies (I. 8. VII. 3. X. 20. XIV. 4. XXIV. 6. XXVII. 4.), in glyconeis semel (LXI. 26.). Etiam in galliambis semel (LXIII. 5.) ea elisio esset, si Bergkius „ilei" pro emendatione Lachmanni „ile" recte coniecisset.

In ceteris vocabulis leges certas de elisione sibi proposuisse Catullus non videtur.

Sed de elisione monosyllaborum haec afferenda sunt:

a. Neque nominum neque verborum monosyllaborum litteram finalem Catullus elisit excepto vocabulo „quare": nam in hac voce substantivum esse non meminerat.

b. Pronominis relativi monosyllaba non elisit nisi ante syllabam positione productam, sed tam in thesi quam in arsi (II. 2. III. 14. XV. 7., 18. XXXIX. 20. LIX. 2. LXIV. 30., 109., 216. LXVII. 30. LXXVI. 9. LXXXIX. 5. CXV. 4.). Aliter autem res se haberet in c. LXIV. v. 16., si Lachmanni coniectura „si qua alia" acciperetur.

c. Pronominum personalium monosyllaba in vocalem exeuntia omnia eliduntur:
 mi XXXI. 5. LXXVII. 3. LXXVI. 26. XCIX. 13.; praeterea ex Hauptii[42]) coniectura in c. LXVIII. v. 158.
 me X. 29. XV. 1. XVI. 3. XXVIII. 9. LXV. 1. LXVI. 7., 73., 75., 76. LXVII. 14. LXVIII. 12., 41. LXXIII. 6. CVII. 7.
 tu X. 34. XXX. 9. XLIX. 7. LXVII. 37. LXVIII. 129. LXXVI. 11.
 te VI. 16. VIII. 16. IX. 6. XII. 4. XIV. 3., 20. XXX. 7., 10. XXXI. 6. XXXIX. 9. XLIV. 2. LXI. 141. LXIV. 149. LXVI. 25. LXVIII. 107. LXXX. 3.
 se X. 7. XXII. 17. LVIII. 3. LXII. 50. LXIV. 403. LXVI. 84. LXXXIV. 3. LXXV. 2. LXXXVIII. 8. CXIV. 2.

d. Praeterea a Catullo eliduntur particulae: quam, nam, iam, ne, si, tum, dum, cum.

e. In hexametris poeta monosyllaba tantum ante brevem thesin elisit in primo pede (e.

[42]) Quaest. Cat. pg. 86. seu opusc. l. I. pg. 63.

c. in c. LXIV. 145., 254. LXVIII. 37., 87. LXXVI. 11.) et in quinto (velut in c. LXVI. 25.).

Deinceps, ut erat propositum, ubi locum habere possit elisio, dicamus. In prima iam arsi et hexametri et pentametri poetae optimi elisionem non admittunt. Hanc in ea sede praeter sermones Horatii inveniri semel in eclogis Vergilii (III. 48.) et semel in catalectis Vergilianis et semel in Ciri L. Mueller[43]) scripsit. Sed neque Ennius Lucilius Lucretius eam vitaverunt nec Catullus, qui vel in prima syllaba versuum iambicorum et ordinum logaoedicorum vocalem saepe elisit. At in ultima versus syllaba apud eum semel (LXI. 233.) elisio est et ea in systematis glyconeis, quae *κατὰ συνάφειαν* composita sunt. Denique in hexametris neque in sexta arsi Catullus elisionem adhibet, quod plerique poetae fecerunt, neque longas vocales in thesi quinta elidit in duobus illis carminibus, quae meris hexametris constant.

Ab hac quoque re omnium versuum Catullianorum minime perpolitus est versus pentameter. In ultima quidem huius arsi elisionem poeta non habet, sed ea syllaba excepta nulla res, ne vocalem elideret, eum prohibuisse in hoc metro videtur. Sed fortasse maxime notandum est, apud hunc poetam elisionem saepissime inveniri in tertia quartave arsi, ubi Ovidius, ut exemplo utamur, eam omnino evitavit. Elisionis in tertia arsi exempla sunt in versibus: LXVIII. 22., 46., 94., 142. LXXXIV. 8. LXXXVI. 4. LXXXVII. 4. LXXVI. 14., 16., 26. LXXXIX. 4. XCI. 2. C. 6., et in quarta arsi in his versibus elisio invenitur: LXVII. 44.[44]) LXVIII. 10., 56., 90. LXXI. 6. LXXVII. 4. LXXV. 4. LXXXVIII. 6., 8. XC. 4. XCI. 10. XCV. 2. XCVII. 2. XCIX. 12. CI. 4. CII. 4. CIV. 4. Et in tertia arsi et in quarta vocales eliduntur in c. LXVIII. v. 82. et in c. LXXIII. 6.; hoc in versu quinque sunt elisiones, quattuor in alio pentametro (LXVIII. 152.).

Sed de his rebus hactenus: nunc extremum est illud, ut nonnullas observationes de hiatu afferamus. Veteribus enim poetis Latinis hiatu admisso finalem corripere non placuit, sed huius rei Graeci sunt auctores. Quo accidit, ut Catullus hoc ipsum saepe faceret. Neque vero vocalem in tali causa alio modo corripere solet atque optimi poetae, longa vocali sequente vocabulum iambicum creticumve aut brevi syllaba monosyllabo subiecta. Exempla huius rei sunt haec: LV. 4. te in circo, te in omnibus libellis — LVII. 7. uno in lectulo erudituli ambo — XCVII. 1. non (ita me di ament) quicquam referre putavi — CXIV. 6. (Lachmanni emendatione probata) saltum laudemus, dum domo ipse egeat. Fortasse etiam exemplum eiusmodi est in c. X. v. 27. (deferri „mane“ inquii puellae). — At in arsi, id quod Lucretius iam fecit, Catullus non evitavit hiatum. Reperimus eum in c. LXVI. v. 11. (qua rex tempestate novo auctus hymenaeo) et in c. CVII. v. 1. (si quoi quid cupido optantique obtigit unquam). Sed in c. XXVII. v. 4. (ebria acina ebriosioris) Hauptius (opusc. l. II. pg. 122—124.) hiatum in arsi adhibitum optime coniciens „ebriosa“ sustulit. Idem ex v. 158. c. LXVIII. pronomine „mi“ inserendo eum quasi expulit, Catullum ratus in pentametri diaeresi hiatum non adhibuisse. Et quamquam huius poetae artem minime excultam esse in pentametris supra iam diximus, Hauptio tamen assentimur; nam in illis quattuor versibus, qui habent eiusmodi hiatum (LXVI. 48. LXVII. 44. LXVIII. 158. XCVII. 2.), hic facillime tolli potest, praesertim cum in nonnullis eorum ex aliis quoque causis quaedam mutanda esse videantur.

Scr. Landisbergae.

J. Baumann.

[43]) De re metr. p. I. pg. 292. sq.

[44]) Italorum coniectura accepta legimus: speraret nec linguam esse nec auriculam.

Schulnachrichten

über

das Jahr von Ostern 1880 bis Ostern 1881.

A. Lehrverfassung.

1. Der allgemeine Lehrplan und die Verteilung der Pensen

auf die einzelnen Klassen sind im wesentlichen dieselben geblieben wie im Vorjahr, so daß von einem Abdruck derselben für dieses Mal Abstand genommen werden durfte.

2. Die von den Schülern gelesenen Schriftwerke.

Ober-Prima gymn. Ev. Matth. 5—7 und die Gleichnisse aus den vier Evangelien. Corintherbriefe. — Lessing: Laokoon, Minna von Barnhelm, Emilia Galotti, Anmerkungen über das Epigramm, Hamburgische Dramaturgie, Abhandlung über die Fabel. Wie die Alten den Tod gebildet. Goethe: Götz, Iphigenie, Egmont. Italienische Reise. Ausgewählte lyrische Gedichte. — Tacitus: Germania. Cicero: Tusc. V. Livius: VII. (priv.). Horatius: Carm. IV. I. und einiges aus den Sat. und Epist. — Thucydides: III. und IV. Sophocles: Aiax. Homer: Il. XII—XXIV. — Jud. 1—3. 6—8. Josua 8—11. Psalm. 1. 4. 6. 19. 22. 34. 40. II Reg. 1—4. — Victor Hugo: Jean Valjean.

Unter-Prima gymn. Klopstock: Oden (Auswahl). Shakespeare: Coriolan, Richard II. Schiller: Ueber Völkerwanderung, Kreuzzüge und Mittelalter, Don Carlos, Briefe über Don Carlos, Jungfrau von Orleans. — Cicero: Tusc. I. und de oratore I. Horatius: Carm. IV. I. und einiges aus den Sat. und Epist. — Thucydides: II (Auswahl). Demosthenes: Or. Phil. I. II. Homer. Il. I—IX. — In Religion, im Hebräischen und Französischen dasselbe wie in Ober-Prima.

Prima real. Römerbrief. — Schiller: Tell. Goethe: Iphigenie. — Livius: XXI. 52—63. XXII. Vergilius: Aen. II. — Etudes biographiques ed. Baumgarten. Corneille: Cinna. — Macaulay: History of England from the Accession of Charles I to the Restoration. Shakespeare: King Richard III.

Ober-Secunda gymn. Jacobusbrief. — Nibelungenlied (Auswahl). Schiller: Wallenstein. Herder: Cid. Goethe: Hermann und Dorothea. — Cicero: pro Roscio Am. und ausgewählte Briefe. Livius: XXVI. Sallustius: de bello Jugurthino. Vergilius: Aen. IX. X. — Xenophon: Hellenica VI. VII. Homer: Od. X—XVIII. XXII—XXIV. — St. Pierre: Etudes de la nature. Montesquieu: L'esprit des lois. Béranger: Chansons (Auswahl nach Herrig, La France littéraire). — Genesis 1. 2. 6—8. 37. 40—45. Jud. 9. 11. I Sam. 16. I Reg. 3. 17. 19. 21. II, 2.

Unter-Secunda gymn. Apostelgeschichte. Ev. Matthäi. — Schiller: Tell, Maria Stuart, Dreißigjähriger Krieg, Balladen. — Cicero: in Catil. I. II. IV. Livius: VIII. Vergilius: Aen. I. II. — Xenophon: Cyrop. I. II. (Auswahl). Homer: Od. IV—VII, IX. X. — Voltaire: Charles douze V. — Im Hebräischen dasselbe wie in Ober-Secunda gymn.

Secunda real. Philipperbrief. — Ausgewählte Gedichte von Schiller und Uhland, Voß' Luise. — Caesar: de bello gall. VIII. V. — Souvestre: Les deux devises, Le poète et le paysan. — Macaulay: The Duke of Monmouth. Byron: The Prisoner of Chillon.

